mus, duo tantum sunt Sacramenta. Nulla igitur Lutheranis inconstantia inde tribui potest; quod quidem Bellarminus *Lib. II. de Sacram. cap. 23.* audet, cum terminorum ambiguitas rem hanc satis expediat, ceu denuo nervose judicat *Carpzov. l. c. p. 412.* Multo minus ipsi Lutherani id sibi sumere debent, ut hodienum existiment, se cautius loquendi formulas ipsismet Libb. Symbolicorum Autoribus, si tunc vixissent, fore præituros. Sibi profecto temperare, sibi parcius promittere, & a semetipsis ægrius impetrare debebant hoc ascititium axioma. Non ignorabat sane Autor Apologiæ, nec ignorarunt, qui cum eo Apologiam publici juris fecerunt, id, quod nos scimus, duo nempe esse Sacramenta strictissime sic dicta; nec dubium est, quin, si absolute supposuisset vocabulum Sacramenti, aut categorice fuisset locutus, duo tantum Sacramenta fuerit numeraturus. At enimvero cum hypothetice procedat, & elenctice, in docendo Sacramentorum numero; sensus dictorum ipsius utique petendus est ex causis dicendi. Quod qui non facit Criticus aut Hermenevta cujuslibet sive divini, sivæ humani Scripti, is ipse cespitat & hallucinatur. Raciocinor proinde: Aut deseruit Scripturam & erronea usus est phrasi; aut convenienter Scripturæ locutus est h. l. Liber Normalis noster. Si illud; probetur error. Sin hoc; igitur vindicias merebatur, non futilem poppysmum. Defensionem, inquam, sibi poscebat, non nudam ἀβλεψίας nescio cujus excusationem; ac satius erat de eo plane tacere & nihil judicare, quam ita judicare, ὥσε γενναῖα τὰς μάχας. Nec sequitur vero, eum, qui hunc defendit, aut in singulas ejusdem phrases singulaque verba jurare, aut eundem Scripturæ penitus æquiparare. Ecquid enim impedit, amabo, quo minus hanc illamve phrasin Augustini, Chrysostomi, Basilii &c. imo Theologi orthodoxi vel veteris, vel recentioris, ceu Scripturæ consonam, defen-